

1230

48.

MEDICAE FACULTATIS DECANI
**HERMANNI FRIDERICI
TEICHMEYERI**

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS, ANATOMIAE, CHIRUR-
GIAE AC BOTANICES PROFESSORIS PVBLCI ORDINARI
SERENISSIMI DVCIS SAXO.-ISENACENSIS CONSILIARII
ET REG. SOC. SCIENT. BORVSS. SOCI

PROGRAMMA INVITATORIVM
DE
**MEDICO BENE
VALENTE**

DISSERTATIONI INAUGVRALI
DE
P O D A G R A

DIE X. DECEMBR. M DCC XXIX.

HABENDAE
PRAEMISSVM

IENAE, DOMINICA II. ADVENTVS
M DCC XXIX.

LITTERIS MVLLERIANIS.

Chirurg.

108,30

HERMANN ERICH
TEICHER
PHYSICUS
DIE AC
SERENISSIMA
MILITARIA

IN
VON
G R A
P O

ADVENTUS
DOCCIX
MILITARIA

Handwritten notes in a vertical column, including a large 'A' and other illegible characters.



¶ **E**tsi quidem, iudice PATINO, vitam nullus acciperet, si daretur scientibus, cum ad eam cui patet ingressus, pateat simul ad miseras aeditus, ubi infiniti morbi, vel silentes, sive latent, insidias struunt, vel, ut manifesti, aperto Marte grassantur & sæviunt. Nihilominus tamen omnes viventes vitæ longævæ amore ducuntur, neque quidquam vitam hanc ærumnosam, semel acceptam, nisi invita natura deserit. Vita enim hominibus nil carius, nil pulchrius, nil præstantius, imo vitæ huius tanta penes eos dignitas est & æstimatio, ut reliqua mundana bona omnia præ illa sordeant, imo prorsus nullius usus esse censeantur. Sapientissimus conditor certe hominem non ad mortem, sed vitam perpetuam condidit, usumque arboris vitæ ipsi in paradiso concessit, procul dubio, ut ita ætatum alternationes, virium decreta, languores, mortemque ipsam averteret, quod beneficium in posteros etiam transisset, nisi Adamus, ob lapsum, quem vocant Theologi, & legis divinæ prævaricationem, medicinam hanc immortalitatis turpiter amisisset. Mors ergo non a Deo, sed ex legis transgressione advenit. Potius idem omnipotens creator ideo corporis

poris nostri harmoniam non solum tam elegantem & admirandam, imo omnibus numeris absolutam esse voluit, & substantiam illam spirituales nobis inspiravit, eamque intime cum corpore univit, ac de cætero divina manu largissime in hominem omnia contulit, quæ tota rerum universitas sinu suo complectitur. Insuper tantum quoque amorem animæ erga corpus suum indidit creator sapientissimus, ut licet anima tota sua natura a corporis essentia distincta sit, & nobis ignoto vinculo eidem cohæreat, tamen cum eodem omnis generis torturas & saevissimos cruciatus diutissime patienterque perferat, & nisi machina corporea penitus destructa, ab eodem non secedat. Quid igitur mirum? quod huius quoque intuitu adhuc omnes omnino homines longævitas amore ducantur, quo placide fruamur eo, quod tot sudoribus fuit acquisitum. Et licet cum comesto a protoplastis malo, malum quoque omne ab iis fuerit deglutitum, ita, ut proh dolor! fragilitas iam nobis connata sit, & mors omnibus hæreditaria, tamen ineffabilis Dei misericordia, medicinæ, quam ex terra procreavit, nondum vires insitas maledictione sua penitus subduxit, quin adhuc supersint quædam, quibus per innumeras morborum procellas huc illucve agitatum corporis machinam aliquamdiu inconcussam conservare possit homo, & in melius reparare. Opprobrio ergo esset hominibus, media, quibus ad vitam conservandam necessario indigent, cognita non habere, & multo minus Medicis, qui aliorum sanitatem curant, vitio vertendum, si de vitæ prorogatione, & propriæ sanitatis integritate, constanter sint solliciti. Ita se ipsos curant. Hanc sanitatis propriæ curam Medicis commendavit sapientissimus HIPPOCRATES, in principio libri, quem de *Medico* conscripsit, ubi inquit: *Oportet Medicum sui ipsius curam gerere, ut bene coloratus sit, & bona ac carnosâ corporis habitudine præditus, iuxta naturam, in eo existentem.* Et statim rationem addit sui consilii: *Vulgus, inquit, existimat eos, qui non sic bene corpus dispositum habent, neque aliis bene posse prospicere.* Veruntamen non vulgus tantum, sed & prudentissimi homines in exemplo Medicorum discere possunt, quomodo per diætæ convenientes regulas, per me-
dica-

dicamentorum selectissimorum applicationem sanitas inconcussa sit conservanda, & placida vita proroganda. Vir sapiens quando Medico suam vitam & sanitatem concedere vult, sibi eligit Medicum eruditum, expertum, conscientiosum, affabilem, & secundum Hippocratem, sanum, robustum, & bene coloratum, qui in consiliis dandis & exequendis promptus esse potest. Reiiicit contra inexpertum, morosum, ægrotantem, tusientem, baculisque incedentem, qui in actionibus suis lente & somnolenter procedit. Sunt quidem, qui putant, Medicum valetudinarium aptiorem esse ad faciendam medicinam, quam alterum, inculpata valetudine degentem. Hoc argumentum demonstrandum in se sumsit Illustris RAMMAZZINI, in Patavina academia Professor primarius *, & fundamenti loco posuit sententiam PLATONIS **, qui Medicum præstantissimum evadere scripsit, si ab ineunte ætate, præter discendæ artis studium, apud plurimos, corpore male affectos, consuetudinem habuisset, ipseque omni morborum genere laboraret. Si hoc dictum Platonis in duo capita dispescimus, prioris utilitatem concedimus, posterioris vero necessitatem merito in dubium vocamus. Quis enim vel iuniorum, vel seniorum Medicorum desiderat eiusmodi omnibus numeris absolutam experientiam? Quis ad addiscendam morborum historiam sibi exoptat caput, tinea affectum; oculos, rubedine lippientes; aures susurrantes; nasum, ozæna exesum; dentes, carie corrosos; pulmones, phthisi affectos; halitum oris foetentem; cor, polypis obsessum; ventriculum, cruditatibus repletum; intestina, colica afflicta; hepar, obstructum; renes atque vesicam, calculis repletam; anum, fistulis perforatum; genitalia, a lue venerea putrida; pedes, ob podagram claudicantes; digitos, a chiragra incurvatos; faciem, vel colore flavo icterico, vel plumbeo cachectico defœdatam, vel varis, gutta rosacea, aliisque ulceribus conspurcatam, & emplastris undique tectam? Hæc enim experi-

): (3

entia

* In Oratione tertia, Operibus suis annexa, pag. 883.

** Lib. III. de Re publica.

entia, ex proprio corpore defuncta, Medico ipso molesta, aliis vero rædiosa est, uno verbo, turpe est, Medicum ipsum morbo laborare, culpa sua acquisito, eum negligere, & non in prima scintillula suffocare. Est quidem Medicus homo, neque humani aliquid a se alienum esse putabit: Interim tamen ante omnia se ipsum curare debet, & proprio suo exemplo alios ad vitæ sobriæ studium excitare.

Meditationes hæc de Medico bene valente proponere volui occasione clarissimi artis medicæ candidati,

M. SIMONIS IOANNIS IACOBI ORTELII.

Hic lucem publicam primum conspexit in pago, *Frosa* vocato, sito in principatu Anhaltino, anno 1697. septimo die mensis Novembris. Parentes habuit honestissimos; patrem quidem, in memorato loco Cantoris & Præceptoris scholastici munere fungentem, IACOBVM ORTELIVM, matrem vero MARIAM CATHARINAM GIESLERIAM, pie defunctam. Prima elementa christianismi & litterarum didicit a venerando suo patre partim, partim a præceptoribus domesticis. Deinceps traditus est curæ Domini GOETZII, Pastoris *Breitensteinensis* meritissimi, cuius fidem & diligentiam ubique expertus est. In Lyceum Ascaniense missus, litterarum studia prosecutus est sub moderamine virorum doctissimorum, Dn. VLMANNI, Rectoris, & Dn. STOECKERI, Conrectoris. Relicto hoc lyceo, se contulit in inclytum Gymnasium Quedlinburgense, & ibi ab ore pependit clarissimorum Præceptorum, Dn. M. EKHARDI, Rectoris, Dn. M. LAVII, Conrectoris, & Dn. GERXII, Sub-Conrectoris, qui omnes florentissimum illud Athenæum adhuc ornant. Ad studia academica ita decenti modo præparatus, celeberrimam nostram academiam salutavit anno huius seculi duodecimo, & a Magnifico t. t. Prorectore, Dn. D. STRVVIO, ICTO consummatissimo, in numerum Studiosorum receptus est. Consecravit se pri-

mum

mum candidatus noster studiis theologicis, hincque statim in limine
 sedulo visitavit celeberrimorum Philosophorum & Philologorum
 scholas; B. Dn. HAMBERGERI; B. Dn. D. MVLLERI; acutissimi
 Philosophi, SYRBI; Dn. Prof. RVSSII; B. Dn. D. DANTZII, a qui-
 bus etiam, absolutis studiis philosophicis, titulo & honoribus Ma-
 gistri philosophiæ ornatus est. Theologicas vero doctrinas ex
 summe reverendorum virorum, B. Dn. Dr. BVDDEI; Dn. Dr. WEISSEN-
 BORNII; & B. Dn. Dr. LVNGERSHAVSENI ore hausit. Quin-
 quennio ita feliciter absoluto, exteras nationes visitare in animum
 induxit, ideoque Lubecam profectus, in navim se contulit, infausto
 quidem fidere; nam durante adhuc bello Suecico, a Danis captus,
 atque omnibus bonis privatus est. Tandem in Sueciam perve-
 nit, Holmiamque, metropolim, regiamque sedem, vidit, qua
 relicta, Upsaliam se contulit, studiumque medicum ibi felici-
 ter inchoavit sub directione celeberrimorum Professorum. Virtus
 vero cum latere nesciat, etiam nostrum candidatum commendavit
 Per-Illustri Libero Baroni, OTTONI IOANNI DE MAIDEL, vigilia-
 rum præfecto regio supremo, qui filios suos candidati nostri in-
 stitutioni & directioni tradidit. Apud hunc magnum patronum
 in Suecia duos annos transegit. Postea, cum illustri hac familia, per
 Finniam in Livoniam pervenit, ibique officio suo per quatuor annos
 laudabiliter præesse perrexit. Tandem ad proseguenda studia medica
 anno huius seculi XXVI. Ienam nostram reversus est, & ab eo
 tempore omnium celeberrimorum virorum collegia, tum publica,
 tum privata, sedulo frequentavit; in primis celeberrimi Dn. Con-
 siliarii aulici, WEDELII, Exercitationes semiotico-pathologicas, de
 Methodo medendi, de Febribus, de Inflammationibus; Magnifici
 Dn. Pro-Rectoris, HILSCHERI, Acroases chirurgicas de Formularum
 præscriptione; Celeberrimi HAMBERGERI lectiones institutio-
 num medicarum, physiologicas, anatomicas & osteologicas; B. Dn.
 Dr. STÜVENII doctrinas physiologicas, pathologicas, semioticas,
 practicas, casuales, atque materiæ medicæ. Meorum laborum quo-
 que semper indefessus fuit comes in physicis, anatomicis, phy-
 siologicis, chemicis, chirurgicis, botanicis, & therapeutis. Exant-
 latis

latis itaque omnibus ad eruditionem veram medicam necessariis laboribus, ante aliquot menses candidatus noster modeste petiit, ut ad consueta examina admitteretur. In quibus quoque collegio nostro eruditionem suam sufficienter probavit. Restat ideo tantummodo Dissertatio inauguralis, quam sub Præsidio Magnifici Dn. Pro-Rectoris de *Podagra* habebit instante die X. Decembris. Cui panegyri ut Magnus Dn. Ex-Prorector, Illustrissimi Dni Comites, Proceres academix venerandi, hospites omnium ordinum honoratissimi, & quicumque ex generosissimorum ac nobilissimorum Dominorum Commilitonum corona studiis medicis favent, benevole interesse dignentur, ea, qua decet, observantia & humanitate, nomine collegii mei, rogo atque obtestor. Ienæ P. P. sub sigillo

Facultatis medicæ, Dominica II. Adventus,
M DCC XXIX.



Chin. 108 20